



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XII. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. De vxore cuiusdam ablata, &
alteri venumdata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLARVM LIBER III. 355

cum vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque iudicetur idoneus: sicque in-
uicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesia-
sticis vtilitatibus regula monachatus impediatur. Illud
quoque caritatem tuam commonere curauimus, vt si
quispiam episcoporum de hac luce migrauerit, vel, quod
absit, pro suis fuerit remotus excessibus, conuenientibus
hierarchicis, cunctisque cleri primoribus, atque in sui præ-
sentia inuentarium ecclesiæ rerum facientibus, omnia
quæ reperta fuerint subtiliter describantur: nec sicut ante-
fieri dicebatur, species quædam aut aliud quodlibet de
rebus ecclesiæ, quasi pro faciendo inuentarii labore tolla-
tur. Sic namque ea quæ ad munitionem pauperum facul-
tatis pertinent, desideramus expleri, vt nulla penitus in re-
bus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur
occasio. Visitatores ecclesiarū, clericique eorum, qui cum
ipsis per non suæ ciuitatis parochias fatigantur, aliquod la-
boris sui capiant, te disponente, subsidium. Iustum nam-
que est, vt illic consequantur stipendum, quo pro tempo-
re suum commodare reperiuntur obsequium. Iuuenculas
abbatissas fieri vehementissime prohibemus. Nullam igi-
tur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cuius ætas
hoc atque mores exegerint, velari permittat, quatenus
tam prioribus quam præsenti capitulo tuæ districctionis in-
stantia, Domino adiuuante, correctis, & diu dissolutum
rerum venerabilium statum canonicis nexibus religare
festines, vt diuina negotia non per incongruas volunta-
tes hominum, sed competenti possint districctione disponi.

Mense Octobri, indictione duodecima.

EPISTOLA XII.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De vxore cuiusdam ablata, & alteri venumdata.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

TANTA nobis subinde mala, quæ aguntur in ista pro-
uincia, nuntiantur, vt peccatis facientibus, quod
auerat omnipotens Deus, celeriter eam perituram cre-
damus. Præsentium namque portitor veniens lacryma-

Concil. Tom. 13.

Yy ij

Grat. 11. q.

2. cap. 45.

Ioan. diac.

lib. 3. c. 23.

Grat. 30. q.

1. cap. 12.

Iuo p. 8. 53.

Ioan. diac.

lib. 4. cap.

54.

biliter questus est, ante plurimos annos ab homine nescio quo, de possessione Messanensis ecclesiæ, de fontibus se suscepimus, & violenter diuersis suasionibus puellæ ipsius iunctum, ex qua iuuenculos filios iam habere se afferuit: & nunc violenter huic disiunctam abstulisse dicitur, atque cuidam alii venumdedisse. Quod si verum est, quam sit inauditum atque crudele malum, tua bene dilectio perspicit. Ideoque admonemus, ut hoc tantum nefas sub ea viuacitate, quam te in causis piis habere certissime scimus, requiras atque discutias. Et si ita, ut supradictus portitor insinuauit, esse cognoueris, non solum quod male factum est ad statum pristinū reuocare curabis, sed & vindictam, quæ Deum possit placare, exhibere modis omnibus festinabis. Episcopum vero qui homines suos talia agentes corrigere neglit atque emendare, vehementer aggredere, proponens, quia si denuo talis ad nos de quoquam qui ad eum pertinet querela peruenierit, non in eum qui excellebit, sed in ipsum canonice vindicta procedet.

EPISTOLA XIII.
GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De Adeodati presbyteri iniusta expulsione.

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Grat. 7. q. 1.
cap. 3.

PRÆSENTIVM latoris Adeodati querelam, qui se a sui presbyteratus loco incongrue dicit expulsum, licet subditæ tibi textus petitionis explanet, tamen paulo latius iudicauimus apertiusque retexendam. Afferit namque a Quintiano fratre & coepiscopo nostro in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum, ægritudinisque causa per duorum mensium spatium suæ se ecclesiæ defuisse: cuius rei occasionem captantem prædictum fratrem nostrum alium loco eius illic presbyterum ordinasse. Hortamur igitur fraternitatē tuam, ut causam eius solicite perquiras, districteque discutias. Et si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causa ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, nullū ei ex ordinatione alterius presbyteri permittas præiudicium generari: sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui. Sin autem aliter se res habere dicitur,